

3169

LITURGICI

3170

vigilia pentecosten obiit pater meus. Ernestus videlicet Ferreus a. 1424. ut ipse Fridericus notat in Diario suo, quod inter Codices Hist. Prof. in Bibliotheca Aug. extat. Ad Festum Johannis Bapt. Obijt dux fridericus 1438. Intellege Fridericum dictum de Pera vacua, cujus mortem alii anno 1439. assignant. Ad 11. Aug. Obijt mater 9. hora noctis 1445. Nescio, quae mater; Friderici enim Matrem Cimborgam mox videbimus. Ad 27. Aug. Cile osterreichischer feld fur die neustat 1452. id est: Udalricus Comes Ciliae et Austriaci duce Udalr. Eitzingero obsident Neostadium ad extorquendum Friderico Ladislaum Hung. Itaque sequitur ad 4. Sept. Kunig Lasla ausgeben 1452. id est Ladislaus illis traditus. Ad festum Matthaei Apost. natus sum 1415. Notissimum, vel e Sigillis Friderici. Unde male in Art de verifier les Dates Natalis ejus ad 23. Dec. reponitur. Ad 26. Obijt. P. S. 1440. Quis hic? Ad 28. Obijt. mater 1429. nempe Cimborga Tirnitzii in Austria, sepulta in Coenobio Campililiensi vicino. Mortem hanc Fridericus etiam in Diario supracit. notavit. Ad 27. Oct. Obijt rex Albertus (Imp. II.) pie memorie. Id quoque in Diario notatum.

DCCCCXXXI.

977 Codex membraneus lat. germ. anno seculari M. D. ut videtur, scriptus, Folior. 194. 24. nitidissimo caractere, literis initio-

rum et quibusdam Frontispiciis deauratis et picturatis, insuperque Iconibus VIII. artificis penicilli decoratus varia Pietatis Exercitia continet. Praeit Calendarium germanica lingua, in quo Epiphania Oberstag audit, Vitus et Egidius miniati sunt, eodemque colore ad 9. Sept. notatur Chuni-gund erhebung, unde Codicem ad Dioecesin Bambergensem respicere putem, quo etiam Petrus et Paulus illius Ecclesiae Patroni fol. 31. p. 2. depicti pertinere videntur. Calendario subjungitur Schema literarum dominicalium, cui superpositum: M. V.º I. id est, Annus 1501. et Tabula ad sciendum in quo membro corporis sit luna. Praesces utraque lingua mixtae potissimum privato ingenio concinnatae sunt, multaeque vulgi traditionibus nixae, nescio quas, praeviis rubricis noxarum venias spondent, quibus utinam non nimium multi adhaeserint de emendanda ceterum vita parum solliciti!

DCCCCXXXII.

Codex membraneus lat. belg. 711 Sec. XIV. Folior. nunc 133. 4. deficientibus aliquot in medio, eleganter scriptus, marginibus auro, coloribusque florulentis, et, ut Nota praevia testatur, Thesaurio Ambrosiano illatus ab Arcis Praefecto Job. Cph. Pappo a. 1620. Precatorius est, continens Officium Vespertinum pro Defunctis sine mutilum, Officium de Sapientia Aeterna initio mutilum,

T t 3

Pfal-

3171

C O D I C E S

3172

Psalms dictos de Poenitentia cum Litaniis OO. SS. Officium reliquum pro Defunctis vitio Compactoris a Vespertino avulsum, Litanias de B. V. ab iis, quas *Lauretanas* vocant, diversas, mutilas, denique Missam de Spiritu S. de S. Cruce, de B. V. et pro Defunctis. Magna harum Precum Pars, praefertim *Antiphonae, Hymni, Lectiones, Orationes*, lingua *Belgica* expressa est. Specimen fit prima *Jobi* Lectio ex Officio Defunctorum: *Spar mich Herre want mine daige en synt niet. Wat is der mynsche dat du yn groifs machs. off warumb setz du dyn bertze weder yn. Du besydes yn in der dage raeten ind geryncge proefs du yn. Wie lancke en spars du mich niet noch en leys mich nit dat ich verslynde mine spye. Ich bayn gesundicht wat sal ich dir doin o beirde der mynschen. Warumb bais du mich contrarie gesat weder dich ind ich byn mir seluer swair woirden. Warumb en dreigs du niet myne sunden ind warumb en afnymps du niet myn boisheit. Sich nu staeff ich in dem gestubbe. ind suychtz du mich vroege ich en sal nyet blyuende syn. In Litaniis *Servatius, Hubertus, Willibrordus, Lebuinus &c. Belgii* Indigetes invocantur.*

DCCCCXXXIII.

966 Codex membraneus lat. belg. Sec. XV. Folior. 86. 4. min. luculente exaratus, literis initiorum, et quibusdam marginibus auratis, picturisque, V. in super

Iconibus praestanti penicillo elaboratis, grandioribus conspicuus varia continet Pietatis Exercitia in usum, ut varia suadent, *Maximiliani I. Rom. Imp.* dum in *Belgis* juvenis ageret, congesta. Principium a *Calendario*, in quo colore distincti *Vincentius mart. Amandus ep. Bonifacius ep. Benedictus abb. Egidius abb. Remigius et bauo, Dionysius ep. Clemens papa, Eligius ep. Nichasius ep.* et praeter hos 12. O&. *Maximilianus ep. et conf.* Serius et quidem manu *Maximiliani*, ut autumo, adscriptus est atramento ad 21. Jul. *Fredericus episcopus*, in Patris nempe memoriam. Abhinc Praeces privato ingenio conceptae ad Deum, Coelitesque varii usus. Atque audiamus tantisper precantem: *Concede mihi neminem iniuste per potenciam opprimere, sine acceptione personarum inter virum et proximum suum iudicare, aduenis pupillis ac viduis defensorem esse, Iniquos non exaltare, impudicos et bistriones non nutrire, impios de terra perdere, ecclesias defendere, pauperes elemosinis alere, Iustos super regni negocia constituere, Senes et sapientes ac sobrios consiliarios habere, Iracundiam differre, patriam fortiter ac iuste contra aduersarios defendere, per omnia in te uincere, prosperitatibus animum non eleuare, aduersa cuncta patienter ferre, fidem catholicam in te deum habere, filios tuos impie agere non sinere, certis horis oracionibus insistere, nemini quod suum est detrabere, sed iuste acquirere, acquisita prudenter dispensare, ea libera-*